

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3876

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, juin

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, notifie le règlement de la controverse survenue entre le comte d'Alençon et l'abbaye de Troarn.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 944, p. 237.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum carissimus frater et fidelis noster Petrus Alençonis comes in nostra curia proposuisset contra abbatem et conventum de Troarno, quod monasterium de Troarno, a prima sui fundatione, fundatum fuerat a comitibus Alençonis, et erat situm infra metas comitatus predicti, et quod clare memorie carissimus dominus et genitor noster, Ludovicus Francorum rex, dederat dicto fratri nostro comitatum Alenconis predictum cum omnibus juribus et justicia magna, que dicitur placitum ensis, et aliis comitatus predicti pertinentiis, sicut ea possidebat dictus dominus genitor noster et suus, tempore quo videbat, in comitatu predicto ; quare petebat dictus comes, frater noster, custodiam sive gardam predicti monasterii, et placitum ensis in terra dicti monasterii et in homines ipsius monasterii, consistentes in feodis comitatus predicti, et in bonis eorum existentibus in feodis predictis, sibi liberari ratione sui comitatus predicti ; dictis abbate et conventu e contrario dicentibus dictum monasterium non fuisse fundatum a comitibus Alençonis, nec esse de comitatu vel in comitatu Alençonis, nec de rebus datis a dicto domino et genitore nostro eidem fratri nostro in comitatu predicto, nec de pertinentibus ad predicta, et asserentibus quod quidam comes de Monte Gomerii, qui vocabatur Rogerus Normannus, magni Rogeri filius, dictum monasterium fundavit, et de suo patrimonio dotavit, et cum, post decessum dicti Rogeri fundatoris inter Johannem tunc temporis comitem Montis Gomerii, successorem dicti Rogerii fundatoris, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii Troarni, ex altera, controversia mota fuisset, dicta controversia per quandam compositionem fuit sopita et terminata coram Henrico, quondam rege Anglie, tali modo quod dicti abbas et conventus dicto Johanni comiti et ejus heredibus quasdam possessiones suas dimiserunt et quitaverunt, et idem Johannes comes per eandem compositionem spontaneus dimisit abbatiam de Troarno in manu predicti regis, custodia et protectione, ac plures alias rationes pretendentes, per quas dicebant in garda, protectione et jurisdictione nostra remanere debere, auditis hinc inde propositis, visis depositionibus quorundam testium super premissis receptorum, visis etiam privilegiis, cartis et litteris a partibus exhibitis, et rationibus partium plenius intellectis, pronunciatum fuit per nostre curie iudicium monasterium de

Troarno cum pertinentiis in garda et protectione nostra et heredum nostrorum, Normannie ducum, remanere debere et predictam gardam ad nos et heredes nostros Normannie duces pertinere in locis predictis. In cuius rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini M° CC° octogesimo, mense junio.